



# DISPUTATIO ETHICA

DE

# PRUDENTIA,

## §. I.

**I**nquirentibus in Prudentiam occurrunt diversa membra consideranda, tum *nominis explicatio*, tum *essentiae evolutio*, tum *eius in partes distributio*, & *singularum partium perlustratio*, tum *extremorum positio*, quæ membra singula paucis enucleabimus.

## §. 2.

*Nominis explicationem* præmittimus, quod unde originem ducat, operæ pretium est, cognoscere. πρὸς γὰρ τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δὲι ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. In hac autem nominis explicatione tria se offerunt: 1.) *Etymologia*, 2.) *Homonymia*, 3.) *Synonymia*.

## §. 3.

Ad *Etymologiam* quod attinet, *Prudentia* optimè deducitur à *Prudente*, hic autem à *providendo* & *previdendo*, quod *vir prudens non quod ante pedes modo est, videat, sed etiam quæ futura sunt, prospiciat*, Terent. in Adelph. act. 3. sc. 3. Assentit huic deductioni Cicero, cum inquit: à *providendo Prudentia est appellata*, libr. 1. de leg. it *prudentes possumus dicere providentes*, Libr. 1. de Divin. A quò D. Thomas non aberrat secund. Secund. quæst. 49. artic. 6. *Prudentia nomen sumit à providentiâ, sicut à principaliori eius parte*. Huic ergò non minus autoritati, quam rationi insistentes rejicimus illos, qui Prudentiam à Græco Πρωδων, quod ex Πρωδω fluit, unde Πρωδων,   
A Pru-